



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 108. Hujus congressus decretum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

**Sæcul. XV.** **A.C. 1438.**                       
 stulavimus, nimirum ut decreta adversus  
 Eugenium a Patribus condita recipere-  
 tur, & Synodi securitati consuleretur. Ad  
 legati eis haud aliud in responsis dabant,  
 quam Cæsarem & Principes suo tempore  
 Concilii Patribus per suos nuntios senten-  
 tiam declaraturos.

## §. CVIII.

*Hujus Conventus decretum.*

*Ad. Patrit.*  
*№. 3. p. 1558.*

**C**eterum Regis Francorum Oratores Ba-  
 fileensibus auctores erant, ut tres il-  
 las civitates, quas jam olim elegerant,  
 nempe Basileam, Avenionem, & Sabou-  
 diam denuo proponerent, si spem habe-  
 rent, eas a Papa, & Græcis acceptandas; si  
 vero hi dictas urbes rejicerent, plures alias  
 nominarent, & harum nonnullas, quas Pon-  
 tifex juste recusare non posset. Verum  
 nec hoc consilium Basileensibus arrisit, eo-  
 rumque Deputati in bivio hærebant, nec  
 quidquam hac in re decidebant, donec  
 Imperatoris & Principum Germaniæ O-  
 ratores advenirent. Hi vero Basileam  
 ingressi, Synodi Patribus declarabant,  
 Germanos quidem haud disserter, concilium  
 Basileæ congregatum esse œcume-  
 nicum, Imperatorem quoque illis, qui ei-  
 dem assisterent, plenam spondere securi-  
 tatem; de cetero tamen omnes Prælatos,  
 Principes



Principes, populumque pari obsequio & Sæcul. XV.  
 Eugenium Papam, & Synodum venerari, A. C. 1438.  
 nihilominus tamen eisdem neutrius par-  
 tibus adhærere; ipsis quoque pro bono  
 pacis omnino videri, tertium locum esse  
 eligendum, ad quem Basileenses simul  
 cum Ferrariensibus Patribus convenirent.  
 Accesserunt huic Legatorum Germanorum  
 sententiæ ceterorum quoque Principum  
 Oratores, iisdem adjectis conditionibus.  
 Tandem post multas ultro, citroque habi-  
 tas altercationes conclusum, a Basileen-  
 sibus nominandas esse urbes, Argenti-  
 nam, Constantiam vel Moguntiam, ea  
 lege, ut intra mensem Imperator harum  
 civitatum electionem Papæ, atque Græ-  
 cis significaret; hi vero alterutram ista-  
 rum urbium elapso altero mense omnino  
 eligerent, & Pontifex Synodi decreta con-  
 firmaret, Basileenses autem latam contra  
 Papam suspensionis sententiam revoca-  
 rent. Ast hoc consilium nec Eugenio,  
 nec Synodo probabatur, & a Basileensi-  
 bus haud aliud extundi poterat respon-  
 sum, quam quod promitterent, missu-  
 ros se nuncios ad novum conventum  
 Francofordiæ cogendum Calendis Mar-  
 tii anni proximi, qui tamen ob pestem  
 ibi grassantem Moguntiaë celebratus est.